

50

LEONARDI AUGUSTINI

Fortunam cognominaverit *φερέπολις*, tuentem civitates, legiturque apud Goltzium *ΤΥΧΗ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ*, & apud Trifanum, *ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΕΔΩΝ* Bona Fortuna Terebentinorum Carthaginensium. Cæterum Fortuna conspicitur ea forma, qua Bupalus sculptor statuam ejus fecit Smyrnæis cum polo in vertice, & cornu Amalthææ ad declaranda Fortunæ bona. Clavus cum globo fuit ei attributus ab illis, qui credebant eam gubernare universum hoc, & eo modo frequenter sculpta occurrit in numismatibus & in statuis, atque etiam cum clavo depingebatur Fortuna Redux. Nihilominus hæc sculptura in heliotropio præclarior est & notabilior ideo, quod ab utroque latere sculpta est cum sequente imagine: ipsa autem dimidium habet magnitudinis, qua expressimus imaginem.

32. C I R C V L A T O R.

ΕΤΤΥΧΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΕ ΕΙΡΗΝΗ. Bona Fortuna Marcello, Pax. Videtur hic Marcellus fuisse Antiochenus, & hanc tesseram vel symbolum illi datum fuisse ab aliquo amico ejus vel amica, optante illi bonam fortunam, tutelam, pacem, ac prosperitatem. Inveniuntur gemmæ annulorum cum literis cavis & exstantibus, cum eodem augurio bonæ fortunæ sine ulla imagine, sed solis vocabulis. Legitur in onyxe literis candidis elevatis *ΕΙΡΗΝΗ ΕΡΟΣ*, Pax & Amor. Ejusmodi erant annuli, qui ab amantibus donabantur in pignus amoris & fidem, de quibus elegiam commentus est Ovidius, quæ sic incipit.

An-